





2241  
1782, 19.  
**OBSERVATIONVM  
IVRIS CRIMINALIS  
SPECIMEN. I.**

---

P R A E S I D E  
**D. IACOBO FRIDERICO KEESIO**  
CURIAE IN PROVINCIA SUPREMAE ET CONSISTORII ELECTORALIS  
LIPSIENSIS NEC NON IUDICII PROVINCIALIS IN MARCHIONATV  
LVSATIAE INFERIORIS ADSESSORE

DIE XIV. NOVEMBR. A. O. R. MDCCCLXXXII.

IN AVDITORIO ICTORVM

H. C.

PVBLINE TVEBITVR

**IOANNES AVGVSTVS OTTO GEHLER**  
LIPSIENSIS.

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

PIETRO PITOGLIO LIBRARIO



## OBSERVATIO I.

*Crimen bigamiae non nisi a coniugato, num-  
quam a persona soluta committitur.*

---

**C**rimen bigamiae est concubitus coniugis cum  
persona extranea copula sacerdotali firmatus.  
In qua notione constituenda cum omnes fere iuris  
criminalis periti consentiant, in quaestione vero: num

A 2

perso-

persona soluta alterius coniugi scienter nubens bigamiae postulari queat? definienda in partes eant, haud inutile putaui, argumentis ex vtraque parte ponderatis, quaenam vera legibusque conformis sit sententia? disquirere. Eminet inter eos, qui personam solutam, quae coniugi nubit, bigamiam committere sibi persuadent MICHAEL HENRICVS GRIBNERVS<sup>1)</sup> nouissimeque eamdem opinionem Illustris KOCHIVS<sup>2)</sup> securum esse vidi. Sententiae suae rationem GRIBNERVS quidem nullam. Illustris KOCHIVS vero adiecit hanc, quod adulterium committere dicatur persona soluta cum coniugato cumbens, diuersum igitur in bigamia neutiquam statuendum esse. Ego vero personam hanc solutam coniugi alterius scienter nubentem numquam bigamiam committere posse reor nec inde, quod eadem

ex

---

1) In Diff. de intercessione coniugium in crimine bigamiae. Cap. 2. §. 54.

2) In Institut. Iur. Criminalis. Lib. II. Cap. XVII. §. 325. Schol.

ex Germanorum legibus adulterium perpetrare queat, me moueri fateor. Inest sane bigamiae notioni, quod concubat persona alii sacerdotali copula iuncta, quae qualitas si deficiat, nil nisi adulterium idque simplex, ad quod perpetrandum iura domestica vinculum matrimoniale alterutrinque requirunt, remanet ideoque ab hoc ad bigamiam argumentum recte fieri nego. Etsi enim persona haec innupta causa duplicitis matrimonii necessaria ideoque socia principalis sit, tamen cum socius tunc demum coauector sit delicti idque ipsum perpetrasse dicitur, si omnia eiusdem essentialia patravit, innupta vero coniugi, quem non habuit, nec nouum interueniente *τερολογία* superinduxit, quo iure ipsam bigamam nuncupare possis, plane non video, praesertim, cum socius principalis isque specialis ad alterius delictum, qua tale, concurrat quidem, non vero, nisi socius esse desinat ac coauector fieri incipiat, eiusdem criminis omniumque eius partium reus fiat. Accedit, quod Carolus V. C. C. Art. CXXI. coniugato tantum bigamiae poenam minatur verbis: Item so *eyn*

*Ehemann* eyn ander Weib oder *eyn Eheweib* eyn andern Mann inn gestalt der heyligen Ehe bei Leben der ersten Ehegesellen nimbt  $\pi.$   $\tau.$   $\lambda.$

---

## OBSERVATIO II.

*Matrimonium putatum excludit bigamiam.*

---

**E**quidem haud ignoro, tantum non omnes Iuris criminalis interpretes sibimet persuasum habere: matrimonium putatum, quod teste **GO<sup>D</sup>OFREDO MASCOVIO**<sup>1)</sup> est connubium, quo personae, quae iure coniungi non poterant, ritu solemni bonaque fide iunguntur, bigamiae crimen non mutare. Haud ignoro

---

1) In Progr. de matrimonio putatio eiusd. Opusculis iurid. et philolog. a Consult. PÜTTMANN O. Lipf. 1776. 8. editis p. 407. inferto.

ignoro esse, qui cum IO. NICOL. HERTIO<sup>2)</sup> eamdem tuerintur sententiam ac cum eodem credunt: interdum matrimonia putativa tantum pro nullis declarari, quoniam a pactione recedendi ius est, sed non retro in irritum deduci, quemadmodum sit in illis, quae simpliciter et omnino nulla sunt. Idem vero, qui argumenta dissentientium saepius examinavi, iubens profiteor, me huic sententiae non subscribere. Sane enim ad bigamiam duplex matrimonium idque validum consummatumque omnes requirunt, alterutro itaque ab initio nullo, eo minus matrimoniorum pluralitas defendi potest, quo certius ad poenam ordinariam irrogandam corpus delicti esse debet.<sup>3)</sup> In criminis itaque, quo versamur, puniendo

veritas

2) In Comm. de matrimonio putatiuo. §. VI.

3) Obicit quidem CHRIST. THOMASIVS in Diff. de criminis bigamiae §. 61. Vlpiani verba in l. 13. §. 4. ff. de his, qui notant infamia „Cum autem factum notetur, etiam, si cum ea nuptias vel sponsalia constituant, quam uxorem ducere vel non potest, vel fas non est, erit nota-



veritas' opinioni' praeualeat et distinctio inter actum  
per se nullum ac fictione tantum validum exulet.  
Quid? quod legum fictiones ultra earum dispositionem  
haud proferendae nedum ad poenalia extendendae  
sint. Iam audio aduersarios vrgentes, quod matri-  
monii putatiui tamen iidem, ac veri, sint effectus,  
eadem sacerdotalis carnalisque copula et sufficiat, con-  
iugem putatiuum, quantum in ipso fuit, in coniugio  
vixisse nomenque ac iura coniugis affectasse. Audio,  
inquam, sed non dum vincor. Quod ad primum  
enim attinet, matrimonium putatiuum in fauorem  
eorum, qui bona fide cohabitant ac praesertim, quae  
inde procreatur, sobolis matrimonium esse fingitur, licet  
in sensu legali non extiterit; iam vero sententiam fe-  
ralem fictionibus superstrui haud posse palam est.

Sacer-

---

tus,, sed cum ratio huius legis, turbatio nimirum sanguinis  
et reuerentia marito debita, non minus ab vxore putatiua,  
quam a vera violari possit, intuitu sanctionis poenalis  
vero, quae bigamiam vetat, per ea, quae dixi, omnino  
fieri nequeat, nec hoc THOMASII argumentum obstat.

Sacerdotalis copula<sup>4)</sup> porro non magis aetum nullum firmare potest, quin potius consensum matrimoniale ex legum praescripto datum ratum habeat validumque declaret, cuius vero consensus nullum effectum ex lege sortitur nec interueniente benedictione sacerdotali, nisi hanc medium euertendarum legum putes, confirmari potest. Si vero sint, quibus contraria sententia forsan ob Cap. 4. X. de bigam. non ordinand. arridet, ii perpendant, velim, ipsum pontificem eod. cap. decreuisse: personas istas *tamquam bigamos, licet in veritate bigami non existant, esse tractandas.* Affectatio denique nominis iuriumque coniu-

---

4) Ob vitium, quod benedictioni sacerdotali ineft, siue e. g. a laico vel parocho remoto siue clandestine vel contra formam a legibus praescriptam impedita sit, matrimonium nullum esse ac bigamiam cessare cum CARPZOVIQ in Iurisprud. Eccles. lib. II. Def. 143. et 148. afferit Ioh. CHRISTI. QUISTORP in den Grundsaecen d. deutsch. peinl. Rechts. Tom. I. §. 468. cur itaque ob vitium, quo consensus laborat, diuersum statuemus?



coniugis non magis bigamiam efficit, ac voluntas ilius, qui mortuum hominem, quem viuum credit, ense perforat, ex insonte facit homicidam. Est propter ea concubitus cum putatio coniuge superinducto adulterium idque poena adulterii exasperata ob benedictionis sacerdotalis abusum<sup>5)</sup> omnino coercendum, tamen ut bigamiam propriam veramque esse eiusque poenam ordinariam<sup>6)</sup> irrogandam existimem, ex rationibus allatis a me nondum impetrare potui.

5) ANTON. MATTHAEI de Criminibus. Lib. XLVIII. Dig. Tit. III. p. m. 466.

6) Quod ipse BOEHMERVS ad C. C. Art. CXXI. §. 9. contrariae ceteroquin sententiae addiclus fatetur. Cui vero in eo assensum praebere non possum, quod Ibid. §. 2. dicat: si ob nullitatem matrimonii bigamia excludenda sit, numquam eamdem, posteriori quippe matrimonio eius, qui in coniugio viuit, semper nullo, obuenire posse. Praeponunt nimis leges in bigamia, duo matrimonia, quae demta vinculi duplicitate per se valida essent.



OBSER.

—————  
OBSERVATIO III.  
—————

*In bigamia non opus est falso.*

Poena ordinaria bigamis irroganda et dolum et  
crimen seminis immissione consummatum praeponit.  
Ille quidem scientia se matrimonii vinculo alii esse  
obligatum animoque coniugi primo nouum superin-  
ducendi absolvitur. Cum vero lex Carolina <sup>1)</sup> eos,  
qui bigamiam *betrüglicher Weise* perpetrant, non mi-  
tiori, quam adulterii, poena coerceri voluit, in in-  
terpretandis illis verbis mire desudarunt viri docti;  
aliis teste Illustri KOCHIO <sup>2)</sup> ea pro synonimis cum  
sequentibus: *mit Wissen und Willen* habentibus, aliis  
ad coniugem derelictum, qui quippe a nocente et

B 2

bigamo

<sup>1)</sup> Art. CXXI.

<sup>2)</sup> Libr. laud. §. 324.



bigamo deceptus est, referentibus, aliis denique ad coniugem nouum vel sacerdotem fraude inductum trahentibus. Quae posterior opinio, inter ceteros, patronos inuenit **L E Y S E R V M**<sup>3)</sup> ac **M E I S T E R V M**<sup>4)</sup> falsum seu veritatem in praeiudicium alterius immutatam ad bigamiam requirentes. Fauere quidem ipsis Ordinatio Bambergensis ac Brandenburgica<sup>5)</sup> videtur, etum illa Art. 146. verbis: wo ein eerlich Fraw oder jungkſraw durch eyn mansſbild mit mergemelten ubel durch überkommung fleischlicher werk und deshalb in jrem erlichen leymat oder entwendung ander jrer zeitlichen habe unnd güter betrogen unnd verletzt — so möcht diselbig todstraff — gebraucht werden falsi mentionem faciat, haec repeatat; salua vero

3) In Meditat. ad Pandect. Spec. 587. med. 7. qui nihil inutiliter a CAROLO positum existimat. Quanta vero inutiliter a CAROLO positorum repetitorumque copia!

4) In Princip. Iur. Criminal. Sect. II. P. II. Cap. XXV. §. 275. not. a) qui dubius quodammodo haeret.

5) Art. 148.

vero res est, ibidem enim de dolo quodam insigniori,  
 quo persona honesta existimationis bonorumque iacturam  
 absque sua culpa fecit, sermonem esse, non modo  
 diserta legis verba euincunt, sed ipsi Carolinae aucto-  
 res ordinationes istas plerumque, seu normam, secuti  
 verba haec ad falsum dolumque spectantia omiserunt,  
 certissimo arguento, ad bigamiam, ut illudatur alter-  
 utri contrahentium vel sacerdoti vel alii, neutiquam  
 desiderari. Quapropter primam ex allegatis opinionem  
 meam facio ac bigamiam abs que falso concurrente  
 committi omnino posse contendo. Verba, quibus  
 Nemesis vtitur: betrüglicher weifs, mit Wissen und  
 Willen nil, nisi hoc, velle videntur: bigamum scien-  
 ter coniugem coniugi addere nec bona fide ad ulter-  
 iora vota durante priori vinculo transire debuisse.  
Quae dictorum verborum synonymia optime, si quid  
 video, ex ipsa Bambergensi quae, tamquam Carolinae  
 mater, summae in hac interpretanda utilitatis est, ac  
 Brandenburgica<sup>6)</sup> probari potest, ibi etenim Art. 146.

B 3

verba:

6) Art. 148.



verba: — welches dann sölcher mylstat (der zweifachen Ehe) mit *Wissen und Willen* ursach giebt und vorbringt — mögen Richter und Urteyler — dieselbigen *betrüglichen* person eyn zeit in Kerker, auch ferner am leyb straffen vnum idemque significare palam est. Requisita porro delictorum praeter legem haud multiplicanda sunt ac absque vlo negotio bigamia cogitari potest, in qua neutra contrahentium pars fraude inducitur sed vtrumque, se esse coniugatos sibi met fatentur ac nihilo minus legum praecepta vafre concutiunt, quid? quod parochus adeo, improbus officiorumque immemor, sciens copulandorum alterutrum vel vtrumque matrimoniali vinculo iam detineri, benedictionem tamen impertire possit. Rationem propter ea fraudis concurrentis in poena definienda  
**C A R O L V M V.** Imp. non habuisse recte obseruat  
Illustr. KOCHIVS l. c. Quod si quis obiciat, tamen, habito ad conciues respectu, bigamum, qui se coniugem legitimum esse sin verbis, factis saltem, persuadet reliquis, falsum committere, hoc nimis probare crederem, omnia nimirum delicta a falsi

falsi<sup>7)</sup> crimine ceteroquin alienissima ad hoc referenda essent, reo crimen, quo se se polluit, celante ac tacite innocentiam simulante.

---

#### OBSERVATIO IV.

*Vtrum stuprata dotem petere queat, quae stupri commissi tempore sciuit, se a stupratore in matrimonium duci non posse?*

**L**iceat quaestionem hanc, quamquam ad iudicium civile non criminale spectantem, eamdem tamen ab Illustri KOCHIO<sup>1)</sup> ob arctissimum vtriusque iudicii

nexus

- 
- 7) Quod, cum immutationem veritatis in praeiudicium priuati cuiusdam factam complectatur, priuatum dici potest, cui BOEHMERVS in Meditation. ad Art. 121. C. C. C. §. 7. falsum publicum seu illusionem totius ciuium coetus opponit.
  - 1) In Institut. Iur. Criminal. §. 283. qui insigne, quod in hac quaestione decidenda fecerunt dicasteria iuriumque periti, diuorum praclare exposuit.



nexus propositam nostris quoque obseruationibus inferere. Stupratam a stupratore, ut aut dotem aut matrimonium praestet, iure petere, norunt omnes. Nec magis dubium est, si culpa stupratae electio stupratori sit ademta, hunc, pure quippe non obligatum, ad neutrum teneri. Petere quoque stupratam, quae stupri commissi tempore sciuit, se a stupratore in matrimonium duci non posse, iure suo dotem, aduersus dissentientes IVSTVS HENNINGIVS BOEHMERVS<sup>2)</sup>, AVGUSTINVS LEYSERVVS<sup>3)</sup> et IO. SAM. FRIDER. BOEHMERVS<sup>4)</sup> praestantissime docuerunt. Quorum sententiae non propter ea tantum accedo, quia stuprata praesumitur seducta ac, qui facultate nuptias ineundi gaudet, non magis, quam ille, cui haec vota sunt prohibita, seducere potest, verum etiam, quia stupratae culpa haud factum, quod stuprum

2) In Iure Eccles. Protest. Tit. de Sponsal. §. 12.

3) In Meditation. ad Pandect. Spec. 583. Med. II.

4) In Obseruation. ad CARPZOV. Pract. rer. crimin. Quaest. 68.

Obseru. 7.

stuprum inferenti, qui, vt hoc vtar, maritus clericus religioni romano - catholicae addictus est, ducere pollutam integrum non sit. Nec tacite hanc dotationi renunciasse recte existimes,<sup>5)</sup> cum renunciationes non praesumantur ac potius ille, qui sciuit sibimet nuptiis, vel plane vel vterioribus certe, interdictum esse ac nihilo secius stuprum intulit, aliam viam satisfaciundi puellae elegisse ac dotem, ceu matrimonii surrogatum, promisisse videatur. Quae cum ita sint, supereft, vt videamus, quid, si stuprata quidem scierit matrimonii contrahendi impedimentum, ignorauerit masculus coiens, obtineat numne tunc quoque ad satisfactionem agat priuatam? Scio quidem, BOEHMERVM<sup>6)</sup> distinctionem RICHTERI et BARBILI inter vitiatam conditionem stuprantis scientem ac ignorantem merito reieciisse et puellam cum LEY-

SERO

5) Quod vult Iо. BALTHAS. WERNHERVS in Observations  
Forens. P. IV. Obseru. CCXLIV.

6) L. c.

C



S E R O 7) vtroque casu satisfactionem iure petere putasse. Sed, cum idem ad stuprantis eiusdem que nuptiis prohibiti scientiam, quae haud leuis ponderis in decidenda causa est, non respexerit, ipsi simpliciter calculum adiicere album nequeo. Fac itaque sciuisse stupratam: se esse sororem Titii, suae cum stuprata necessitudinis ignari, eamdem reticuisse carnis propinquitatem ac postea satisfactionem petere priuatam; haec, inquam, quia dolus<sup>8)</sup> nemini patrocinari potest nec masculus, qui matrimonii postea in eundi consilium forsan habuit, electione temere priuandus est, dotem nullo iure exigit. Quod si vrgeas, masculum tamen eligendi beneficio stupratae culpa destitu-

---

7) L. c.

8) Rechte hinc DAV. GEO. STRUBEN in den rechtlich. Bedenken. III. Th. No. 147. secunda vel tertia vice stupro vi-  
tiatae dotem praestandam esse negat, quia nullo nec fauore digna est, nec iacturam existimationis bona, quam post  
primum stuprum iam amisit, incurrit, potius ad continuandum turpe vitae genus satisfactionem pluries accipiendo quasi  
inuitari censet. Cf. IVST. HENNING. BOEHMERI Ius  
Ecclesiast. Protest. Lib. V. Tit. 16. §. II.

destitutum dici non posse, euidem tam dissimulando nuptiarum impedimentum, quo comperto non cum hac forsan, sed cum alia, quam ducere potuit, conversaturus fuisset, masculo omnino electionem subtraxisse contendo ideoque dotem, quae haud simpliciter nec vitiatae dolosae debetur, frustra exigit reusque ignorantia facti ac stupratae fraude, quae ex reticentia colligitur, rite probata plane absoluendus videtur.

### OBSERVATIO V.

*Stuprator infanticidum poena ordinaria  
expiat.*

**E**t sane non exigui momenti quaestio: utrum ad crimen parricidii, in sensu latiori sumti, vinculum sanguinis solum, an eiusdem quoque legalis requiratur nexus? BOEHMERVS<sup>1)</sup> quidem CARPOVIVM<sup>2)</sup>)

C 2

stupra-

1) In Meditationibus in Constit. Crimin. Carol. Art. CXXXI. §. 23.

2) In Pract. rer. criminal. Quaest. IX. No. 9.

stupratori, qui solus cum foemina se commiscerit par-  
tuique manus intulit, poenam infanticidii<sup>3)</sup> ordinariam  
haud obscure statuerent ea propter reprehendit, quia  
turpitudo, quam foemina confitetur, stupratori non  
magis praejudicare, ac concubitus ultra alimentorum  
praestationem efficax esse posset. Rationes huius dis-  
sensus vero mihi numquam tanti visae sunt ponderis,  
ut a sententia contraria me abduci passus sim. Quod  
ad primum BOEHMERI argumentum attinet, haud  
foeminae vnitatis assertioni: stupratorem corpus mis-  
cuisse, creditur, sed huius confessio, quae, si accedat,  
corporis delicti efficit certitudinem, fidem iudici facit  
ac iis, quae circumstant, non repugnantibus plene  
delictum probat; turpitudo vero, quae et stupratoris  
confessioni inest, eius effectui nil detrahit, cum nulli  
alias delictum affirmanti sua nocere confessio posset.  
Deinde, ne principium petat BOEHMERVS, vereor,  
hoc ipso quippe: an concubitus aliam, quam alimenta  
praestandi, obligationem, alium effectum producere  
possit?

---

3) Infanticidii verbum non in sensu etymologico, sed legali  
hoc est pro parricidio liberorum sumi vix est, quod moneam.

possit? in quaestione positio. Vti itaque, recte monente IO. HENR. BERGERO<sup>4)</sup>), in crimine parricidii ratio naturae et sanguinis vinculum vnicē spectatur nec: an commixtio parentum seruat̄ institutis ciuilibus facta sit, nec ne? respicitur, sic nullum dubium est, stupratorem, ceu patrem naturalem, modo concubitum fateatur, partum occidentem poena parricidii ordinaria esse plectendum. Contendit quidem BOEHMERVS et stupratoris et stupratae confessionem propter ea esse lubricam nec ad parricidium constitutendum sufficientem, quod stuprata plures forsan admiserit ac semel mala semper talis praesumatur; id quod eo minus ipsi largior, quo certius est, delicta vti in genere, ita in specie crimen grauius eo, quod fassus est reus, absque indiciis sufficientibus praesumi non posse nec, quae vnius paruit libidini, meretricem

C 3

haberi

4) In Elect. Iurisprud. Criminal. Cap. II. Memb. III. §. 9.  
Ideo versa vice in liberis extra matrimonium natis patrem,  
si de eo certo constet, aut matrem occidentibus poena culei  
plectendis probat Consult. PÜTTMANNVS in Element. iur.  
criminalis. Cap. 21. §. 331.

haberi quoque clarius BOEHMERVS ipse ibid. afferit: ius romanum <sup>5)</sup> aequae ac carolinum <sup>6)</sup> patrem, licet non verum, sed ob iustum matrimonium praesumtione iuris talem, qui partum necauit, iudicio parricidali subiicere, nisi mater graibus violati thori suspicionibus prematur.

## OBSERVATIO VI.

*Permutatio coacta, rapina.*

**A**gitata saepius inter I. Ctos fuit quaestio: an violenta manu permutans sit raptor? Proportionem rerum ita attendendam esse monuerunt non nulli, vt, si plus pretii utilitatis ve rei yi permutatae insit, quam per-

mutan-

5) L. vnic. C. de his, qui lib. occid.

6) Art. CXXXI. qui de matre partum vitalem occidente quidem praecepit, sed idem patre parricida obtinere evidentissima rationis paritas docet.

mutandae, ob lucrum, quod eo casu intendit extor-  
quens, rapinam esse affererent; rebus vero aequalis vel  
maioris pretii obtrusis committi negarent<sup>1</sup>). Alii in-  
super habito hoc discrimine coactam permutationem  
rapinae lege censemdam simpliciter crediderunt<sup>2</sup>).  
Litem hanc Illustr. KOCHIVS<sup>3</sup>), quem honoris causa  
nomino, inanem esse, modo inter permutationem lu-  
cri faciendi animo et sine eo commissam distinguas,  
putat. Taceo Io. PAVL. KRESSII<sup>4</sup>) pro mitiganda  
poena inde desumptum argumentum, quod eius modi  
permutationes rarissime accidunt nec turbatio securitatis  
publicae adeo metuenda sit ab illis. Primum etenim  
facti, non iuris punctum concernit ideoque ad nos  
non pertinet, alterum vero notione publicae securitatis  
rite constituta luculentius falsum est, quam quod resu-  
tatione indigeat. Mihi quidem vi permutans, modo

non

1) CARPZ. Pract. rer. crimin. Quaest. gr. No. 10.

2) LEYSERI Meditat. ad Pandect. Spec. 539. Coroll. 1.

3) Libro laud. Lib. II. Cap. VI. §. 243.

4) In Commentat. in Constitut. Criminal. CAROLI V. Art. CXXVI.

§. 4. not. 2.

non petulantia subsit, raptor semper visus omniaque rapinae requisita ad illum quadrare puto. Vtramque omnino paginam in definienda hac quaestione facit, quod iniustas manus inferens intendit, lucrum, sine quo nullum furtum, nulla, quae eius species est, rapina existit. Sed vi permutans numquam non in lucro hæret. Rapinae itaque, quae dolosa rei alienae ablatione lucri faciendi causa per vim personae illatam facta absolvitur, definitio<sup>5)</sup> illi, qui manu iniecta permutat, optime conuenit. Fac Titium Caii equum album cuperet ac ipsius equum nigri coloris cum Caio nolente commutare velle. Non annuit Caius Titii precibus, qui vi illata equum album Caio extorquet, nigrum reluctanti obtrudit. Rem propriam Caio inuito eripiam est, damnum siue patrimonii deminutionem patitur. Nec est, quod dicas: Caium loco rei suae, rem, quam alter ipsi inuito offert, habere, huius enim dominium, quod accipere detrectat, in eum non tran-

fit.

---

5) MART. GOTTL. PAVLI Diff. de vera rapinae indole eiusque ex principiis Iur. Sax. Elect. coercitione. Vitemb. 1777.

fit. Nil itaque de eo dicam, quod lex Carolina in furto haud lucrum perceptum<sup>6)</sup>, sed damnum fur-  
tum passo datum respiciat, quod non rei raptæ valo-  
rem, sed ius omnium tuto viuendi a raptore violatum  
attendant leges atque solus animus, sola spes atque in-  
tentio lucri per delictum commissum faciendi absque  
ulla eiusdem perceptione ad furtum rapinamque omni-  
bus fatentibus exigatur, quod denique lucrum in quo-  
libet residui emolumento confistere queat, ideoque vel  
ex his iam appareat, vi permutantem omnia, quae  
rapinae crimini insunt, perpetrare, euidem praeter  
ea in rebus quoque exacte aequalis vel maioris adeo  
aestimationis datis violenter permutantem in lucro sem-  
per haerere ea propter contendo, quoniam rem alte-  
rius suamque simul habet. Quapropter idem est ac  
fi ille, qui eripit, nihil alteri non accipienti tradidisset,  
eadem securitatis publicae, quae quippe rationem poe-

nae

---

6) Art. 160. verbis: Mer soll ermeissen werden — wie schedlich  
dem beschädigten der diebstall seyn mag.

D



nae raptoribus scriptae efficit, violatio, idem rapinae delictum. Nec C. C. C. Art. CXXVI. verba: Item eyn ieder boshaftiger überwundner rauber soll — am leben bestrafft werden a sententia nostra abhorrent, quae, cum nullam nec distinctionem nec restrictionem contineant, nos aequo ac ius saxonum 7) distinguere prohibent.

7) Constitut. 35. Part. 4. Edictum, das Räuber-Mandat vocant, d. d. 27. Jul. 1719. Mand. Elect. de ao. 1733. et 1753. nec non Rescriptum d. d. 27. April. 1762.



1078


ULB Halle

005 361 494

3







1782, 19.

OBSERVATIONVM  
IVRIS CRIMINALIS  
SPECIMEN<sup>II</sup>.

PRAESIDE

D. IACOBO FRIDERICO KEESIO  
CURIAE IN PROVINCIA SUPREMAE ET CONSISTORII ELECTORALIS  
LIPSIENSIS NEC NON IUDICIIS PROVINCIALIS IN MARCHIONATV  
LVSATIAE INFERIORIS ADSESSORE

DIE XIV. NOVEMBR. A. O. R. MDCCCLXXXII.

IN AVDITORIO ICTORVM

H. C.

PVBICE TVEBITVR  
IOANNES AVGVSTVS OTTO GEHLER  
LIPSIENSIS.

LIPSIAE  
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

